

obscure difficultas : in *actuali* autem *executione* et *tentatione* reipsa jam incumbente vividius repræsentantur difficultates, quibus clara repræsentatio boni impeditur, terretur ac perturbatur intellectus, voluntas ad fugam impellitur, nisi sancta cogitatio et inspiratio utrique potentiae consulat.

Nec dicas 3º. Amor Dei etiam affectivus debet imprimis includere odium rerum omnium legi divinæ adversantium; ergo si hunc amorem possit elicere, poterit etiam totam legem servare : deinde debet habere *propositum* omnia subeundi potius, quam Deum offendere; sed actum ejusmodi *heroicum* nequit homo naturaliter elicere, qui ne unicam quidem tentationem gravem potest superare absque gratiæ auxilio; ergo.

R. *Ad 1ºm. p. D. Cons.* Poterit servare totam legem adæquate, quod fieret, si diu et constanter servaret *N.* inadæquate, h. e. brevissimo tempore, pro quo durat actus amoris Dei, poterit nullum præceptum violare *C.*

Ad 2ºm. part. D. M. Debet habere propositum formaliter et explicite ad omnia se extendens *N.* virtualiter tantum et implicite *C.* Sicut ad *amorem Dei super omnia* etiam supernaturalem non requiritur, ut fiat actualis comparatio Dei cum creaturis singulis, sed sufficit, ut amor in Deum feratur tanquam in bonum summum ac infinitum juxta generalem conceptum et æstimationem amantis; sic etiam *propositum* omnia potius subeundi non debet repræsentare animo omnes, quæ in observanda lege occurrere possent, difficultates, formaliter, explicite et quasi singillatim, sed sufficit, ut quis vi propositi nihil excipientis paratus sit ad Deum nunquam graviter offendendum, ita ut non possit stante hoc actu graviter peccare.

Primum si requireretur, utique amor actus heroicus foret; cum autem alterum pro amore sufficiat, neque absens aliqua difficultas æque intellectum et voluntatem afficiat, ut præsens; patet, cur tentationem unicam gravem vinci non posse dicamus sine gratia, et tamen naturæ moraliter possibilem permittamus actum amoris, qui propositum includit contra cumulum difficultatum, sed nec præsentium, nec explicite et clare repræsentatarum.

Nec dicas 6º. Præsumptio est velle, vel proponere aliquid facere, quod quis propriis viribus exequi nequit; unde S. Aug. serm. 124. de temp. (al. in app. serm. 79.) S. Petrum hujus peccati arguit, cum diceret : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sed certum est, nos *propriis viribus* non posse observare totam legem, et omnes tentationes vincere; ergo nec sine præsumptione posset elici amor Dei affectivus naturalis, siquidem eliceretur.

R. Præsumptio est proponere aliquid propriis viribus facere, quod quis propriis viribus exequi nequit *C.* proponere eo modo et per eas vires facere, quo et per quas aliquid fieri potest *N.* Primus proponendi modus tribuitur S. Petro ab Aug., et recte *præsumptio* dicitur : alter vero et præsumptione et alio defectu caret; cum, qui suis viribus hostem superare nequit, possit tamen velle efficaciter hostem vincere per suos, aut Principis fœdere juncti milites, tempore et loco non defuturos. Quare si quis etiam proponat superare tentationes, et observare legem eo modo et viribus, quibus hæc perfici possunt, *præsumptionis* notam non incurrit, præsertim si sciat, gratiam nunquam defuturam in iis præstandis, quæ vires naturæ excedunt. Ejus-

modi autem *propositum* fieri etiam posse patet in exemplo, quo quis dono miracula patrandi ornatus per actum naturalem diceret : volo patrare miracula.

QUÆRES II. *An gratia sit necessaria ad vincendas tentationes?*

317. *Nota I.* Tentationes contra legem sunt; quia vel revocant ab actibus præceptis, uti est timor mortis avocans a confitenda fide; vel impellunt ad actus prohibitos, ut concupiscentiæ motus allicientes ad fornicationem. Oriuntur vel ab *appetitu inferiori*, quem sequitur phantasia et intellectus sensibilia aut allicientia aut deterrentia vivide proponens; vel ab *objectis extrinsecis* sive veris, sive apparentibus phantasiam concitantibus; vel a *dæmone* aliove principio extraneo species aut passiones sic concitando, ut intellectus ad judicium sensibilibus conforme, et voluntas ad consensum sollicitetur. Potest autem vis tentationis esse adeo vehemens, ut absorbeat vel perturbet rationis judicium; quo casu, quia homo non manet liber atque in ordine ad bene operandum moraliter, de *tentatione* hujusmodi quæstio non agitur.

Communius tamen tentatio relinquens imperturbatum rationis judicium potest esse vel gravis, vel levis : *gravis* autem non tantum respective ad hoc vel illud subjectum, sed absolute etiam est vel ex duratione diuturna, vel ex intensione, vel ex ipso habitu et consuetudine prava; *simpliciter* tamen *gravis* communiter intelligitur esse illa, quæ tum intensive ob vehementiam passionis, quam in appetitu sensitivo excitat, tum extensive ob notabilem moram temporis, quo eadem tentatio durat, gravis dicitur : totidem ex adverso modis potest tentatio esse *levis*, seu ad vincendum facilis.

318. *Nota II.* Triplex potest esse victoria seu ratio superandi tentationes : 1ª. *Vitiosa*, ubi quis tentationem ad peccatum vincit alio peccato; ut si quis avaritiam vincat ex vana gloria. 2ª. *Meritoria* et supernaturalis, ubi quis ex motivo charitatis salutaris et cum merito respectu vitæ æternæ superat tentationem. 3ª. *Præcise honesta* et naturaliter moralis, seu propter motivum naturalis honestatis. Jam vero de prima et secunda victoria hic sermonem non esse patet ex terminis; de una tertia controversia agitur.

319. R. I. Homo lapsus sine gratia nequit moraliter vincere tentationes graves.

Prob. Quia tum SCRIPTURA, tum CONCILIA et PATRES de necessitate gratiæ ad vincendas tentationes universaliter loquuntur, nullum excipiendo, ut liquet 1º. ex Psal. 17. v. 30. *In te eripiar*, ait, *a tentatione.* Et Ps. 29. v. 9. *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Sap. 8. v. 21. *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* Ad Rom. 8. v. 37. *In his omnibus superamus propter eum* (juxta græcum ratione constructionis cum genitivo : *διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, per eum*) *quæ dilexit nos.* Matth. 6., ubi v. 13. jubemur a Christo orare Deum : *Et ne nos inducas in tentationem.*

2º. Ex CONC. PALÆST. can. 11. (Labb. t. 2. p. 1530. D.) *Fateatur* (Pelagius), *quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, non ex pro-*

pria voluntate, sed ex Dei adjutorio provenire victoriam. ARAUS. II. can. 9. (Lab. t. 4. p. 1669.): *Divini muneris est, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus.*

3°. Ex epist. INNOCENTII I. ad Synod. Carthaginensem (Lab. t. 2. p. 1283. B.): *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrene labis et mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.* Et COELESTINI ad Episcopos Galliae (ibid. p. 1613. A.): *Nemo, etiam baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, et ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

4°. Ex PATRIBUS. CHRYSOST. hom. 24. in 1. ad Cor. n. 1. ad illa verba: « Tentatio vos non apprehendat, nisi humana: » *Sunt ergo, inquit, tentationes, quas sufferre non possumus; et quænam illæ? omnes, ut semel dicam: possibilitas enim in divino nutu est.* AMBROS. in Ps. 43. n. 71. *Quis est tam fortis, ut nequaquam in tentationem moveatur, nisi Dominus ei adjutor assistat.* HIER. L. 2. adv. Pelag. n. 16. ad illa Christi verba: « Quid dormitis? surgite et orate, ne intretis in tentationem: » sic urget Pelagianos: *Debit juxta vos dicere: quid dormitis? surgite et resistite; liberum enim habetis arbitrium, et semel vobis concessa a Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio.* AUG. denique L. de bono viduit. c. 17., serm. 13. de verbis Apost. (al. serm. 136. c. 9. n. 9.), hom. 23. inter 50. (al. serm. 99. c. 6. n. 6.). idem pronuntiat, maxime autem L. de perfect. Justit. c. 21. ubi sic inquit: *Plane quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed, sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem), ab auribus omnium removendum, et ore omnium anathematizandum esse non dubito.*

Infero: Ergo certum videtur, illos saltem intelligendos esse de omnibus et singulis tentationibus gravibus; nam quamvis Concilia et Patres ut plurimum loquantur de victoria salutari et meritoria vitæ æternæ, tamen ex supra dictis patet, necessitatem gratiæ ab illis fundatam esse in liberi arbitrii infirmitate, quod nihil aut parum valere volebant ad servandam legem et tentationes vincendas: valeret autem illud sane multum, si vel unam tentationem simpliciter gravem superare posset.

His adde: 1°. *Appetitus sensitivus*, utpote cujus objecta, quia præsentia et frequentius usurpata, nos magis afficiunt, importunius allicit, sive se solo, sive accedente etiam dæmonis instigatione. 2°. *Intellectus*, cujus inclinatio est ferre judicium secundum dispositionem appetitus sensitivi, præcedenti hujus appetitus vehementi æstimatione et affectu, in idem objectum sensibile trahitur; adeoque et *voluntas*, si non necessario, saltem infallibiliter sequitur, adeoque propter hæc impedimenta est quædam *moralis impotentia*.

Nec dicas 1. *Concupiscentia* est sub nostra potestate juxta illud Genes. 4. v. 7. *Sub te erit appetitus tuus*; ergo non est impossibilitas, sed tantum difficultas ei resistendi, ut innuit S. ANSELM. Quin et saltem in casu moraliter possibilis esse videtur victoria tentationis; si quis jam sæpius vicit tentationes leves, et hinc contraxit habitum vincendi.

R. 1°. D. A. *Concupiscentia* est sub nostra potestate physica C. morali, si gravis sit tentatio *subd.* supposita gratia C. sine illa N.

R. 2°. D. *Cons.* Ergo tantum est difficultas, sed tanta, quæ semper impediatur actum C. non tanta N. Utraque quidem potest dici impotentia moralis, nempe vel late, vel stricte sumpta: nos postremam asserimus.

R. 3°. D. Acquiritur habitus et facultas ad victoriam similem et æque facilem T. ad victoriam tentationis gravioris N.

Nec dicas 2°. Posita quacumque tentatione gravi non perturbante rationis judicium, homo consentiendo peccat per se loquendo graviter, si sit materia gravis; ergo debet etiam moraliter posse resistere tentationi, quia impotentia moralis saltem determinata obest libero arbitrio, et excusat a peccato.

R. D. *Cons.* Debet simpliciter moraliter posse resistere N. secundum quid moraliter C. Potentia moralis secundum quid talis resistendi tentationi etiam determinatæ habetur tum per potentiam physicam liberæ voluntatis, tum per gratiæ auxilium paratum ad supplendum, quod viribus propriis naturæ moraliter impossibile est. Quin, si illa moralis potentia per auxilium illud gratiæ etiam deest, et consequenter non est proxima; non deest tamen gratia excitans ad orandum, pro uberiore et requisito gratiæ auxilio; et sic potentia moralis saltem remota et mediata præsto est, quæ una cum potentia physica sufficit ad præstandam libertatem in ordine ad peccatum.

Nec dicas 3°. Legimus Romanos aliosque aut hæreticos subinde superasse mortem, quæ sicut ex Philosopho rerum omnium est maxime terribilis, sic ejus tentatio gravissima est. Hæc victoria non potest dici semper fuisse vitiosa, tum quia non omnes infidelium virtutes sunt vitia: tum quia honestas objecti videtur idem præstare posse, quod conceditur vanæ gloriæ aut alteri pravo fini: neque potest referri ad gratiæ auxilium; tum quia hoc illis ad timorem mortis superandum datum fuisse gratis dicitur: tum quia dici non potest, an illud fuerit supernaturale vel naturale; ergo debet asseri propriis naturæ viribus.

R. Victoriam vel vitiosam fuisse, vel per auxilium speciale evenisse. Ita S. AUG. L. de Patientia, ex cuius c. 17. desumptus est Conc. Araus. can. 17. *Fortitudinem gentiliū mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit.* Hujus rationem S. Doctor ibid. dat his verbis: *Cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis: charitas autem Dei diffusa est in cordibus*, etc. Demum ubi c. 26. et 27. posuisset schismaticum pro fide Christi perferentem supplicia, subjunxit: *Proinde sicut negandum non est, hoc etiam esse donum Dei: ita intelligendum est, alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem.* Denique c. 28. vocat illud donum, non hæredum, sed exheredatorum, illud comparans cum muneribus, quæ Abraham largitus est filiis concubinæ.

Unde N. m. Ad 1°. part. prob. 1^{am}. R. N. seq. Quia licet in tentationibus gravibus victoria concedatur vitiosa; non tamen sequitur quancumque actionem vana gloria aut pravo fine vitiatam fuisse, aut id etiam intelligendum de tentatione levi.

Ad prob. 2^{am}. *Disparitas* est, quia motiva sensibilia, utpote præsentia, magis nota ac usurpata, et naturæ corruptæ magis blandientia ac practice proposita fortius alliciunt, quam honesta ex diversa ratione velut speculative tantum proposita, ut in quotidianis mercatorum, militum, aliorumque exemplis patet.

Ad 2^{am}. part. N. utr. prob. Fundamentum enim habemus ex auctoritate S. Aug., ex quo et discimus hoc auxilium, tametsi ordinis *proprie supernaturalis* non sit, communem tamen excedere naturæ cursum, atque ad specialem providentiam pertinere. Unde, Suarezio L. 1. de Grat. c. 27. præeunte, dici potest, illam Dei legem de dando auxilio supernaturali ad vincendas tentationes graves non esse omnino indispensabilem, præsertim circa infideles.

Nec dicas 4^o. Hæretici sicut pro suo errore, ita pro aliqua veritate Catholica, quam retinent, nonnunquam leguntur imperterriti obiisse mortem, et sic vicisse gravem tentationem : sed sine gratia mortui sunt pro suo errore; ergo et pro veritate Catholica.

R. Similiter : vel distingui potest inter hæreticos formaliter ac materialiter tales. De hæretico enim *formaliter* tali non improbabiler dicitur, illum utrobique moriturum non ob motivum fidei proprium, sed ob aliud humanum, ac præcipue proprii iudicii *pertinaciam*; cujus a posteriori signum est, quod errori suo æque ac veritati cuidam Catholicæ adhæret. Si autem hæreticus *materialiter* talis similem victoriam obtinet, vel illa refundenda est in donum naturalis ordinis proxime explicatum : vel forte cum quibusdam dici potest, quod Deus foret eum illuminaturus atque ad fidem veram perducturus, qui præcise ex motivo revelationis divinæ per ignorantiam invincibilem falso apprehensæ, piaque erga Deum affectione in tali casu vellet mortem oppetere.

320. R. II. Potest tamen moraliter sine gratia vincere tentationes *leves*.

Prob. Quod naturaliter fieri potest, data ad illud facultate morali, hoc etiam potest fieri moraliter, positis *levibus impedimentis*; ut patet tum in causis naturalibus seu physicis, tum in liberis aut moralibus : sed potest fieri aliquod bonum naturaliter honestum, et moraliter observari aliquod præceptum, si gravis tentatio non obsistat, ut hucusque probatum et propugnatum fuit; ergo et illud fieri naturaliter poterit, levi duntaxat tentatione occurrente.

Conf. Ex propp. *Baii* 29. et 30. Item ex S. Aug. L. 1. de pecc. mer. c. 22.

Nec dicas 1^o. Argumenta nostra partim probare, *indefinite* tentationum victoriam esse a Deo : partim ostendere etiam *leviores* tentationes vinci non posse nisi per gratiam : partim extendi etiam ad tentationes *simpliciter* leves.

R. *Ad 1^{am}. p.* Id verum esse, non quod levior aliqua tentatio vinci nequeat, sed quia nec possunt sine gratia vinci tentationes omnes, nec ullæ etiam graves.

R. *Ad 2^{am}. p.* Id intelligendum esse vel de tentationibus, quæ quidem reipsa graves sunt, sed dicuntur tantum leviores, si conferantur cum multo gravioribus : vel de tentationibus quidem intensive levioribus, sed gravioribus extensive, seu quæ sua diurnitate graves evadunt.

R. *Ad 3^{am}. p.* Si quæ auctoritas gratiam requirat ad omnes omnino tentationes vincendas; vel ex ratione allata, vel ex contextu, vel ex scopo et adversariorum errore etiam apparet, sermonem esse de victoria *meritoria* ac conferente ad salutem.

Nec dicas 2^o. Quod jubeamur orare et gratias agere pro victoria etiam levissimarum tentationum; quod ipsum etiam præstant pii ac timorati.

R. Etiam jubemur petere a Deo *panem quotidianum* : oramus cum Davide Ps. 121. *Fiat pax in virtute tua, et abundantia, etc.* : gratias denique agimus pro pluviis tempore opportuno, peracto feliciter naturali opere, depulsione morbi, etc., quæ tamen omnia naturaliter fieri nemo negaverit. Unde *oratio* et *gratiarum actio* non denotat per se auxilium supernaturale, sed proportionatum operi. Cæterum utraque respicit gratiæ donum, si tentationum victoria valeat ad salutem, vel graves tentationes superandæ sint, vel leves ex se ob circumstantias quascumque graves evadant.

Nec dicas 3^o. Quod divinæ protectionis sit, ne leves tentationes fiant nobis graves.

R. Nec tentatio ratione sui exigit continuo esse *gravis*, nec ratione concupiscentiæ statim invalescit et a principio est vehemens, nec a dæmone ubique summa tentantur, cum inter ejus stratagemata S. GREG. L. 3. Mor. c. 16. (al. 28. n. 36.) numeret, nonnunquam tentare levius, ut repente facilius irrumpat inopinatus; unde saltem ex ipsa rerum natura tentationes leves non pertinent ad gratiam divinæ protectionis. Quamquam vero cum S. Aug. L. 2. Conf. c. 7. et hom. 23. inter 50. (al. serm. 99. n. 6.) præsertionem a gravioribus tentationibus et permissionem leviorum duntaxat recte trihuamus benevolæ Dei providentiæ; tamen, quamdiu tentationes leves sunt, superari *naturaliter* poterunt.

Nec dicas 4^o. Quod justus non resistat, nec resistere possit tentationi levi sine gratia, quippe cujus victoria est meritoria; unde sequi videtur neque alium sine gratia resistere, aut resistere posse.

R. Quamvis in nullo casu homo tentationi resisteret nisi per gratiam, id tamen non fieret ex *defectu virium*; sed ex abundantia divinæ liberalitatis; ad quam ostendendam Deus per gratiam præsto esse vellet. Deinde aliud est potentia victoriæ, aliud illius *meritum* : hoc enim est a statu amicitiae cum Deo, vel a comprincipio effectivo supernaturali; illa a naturali virtute sufficienti, utpote quæ absolute potest esse separata a ratione meriti.

QUÆRES III. *An gratia sit necessaria ad omnia omnino peccata vitanda?*

321. *Nota.* Suppono 1^o. Nec hominem posse in hoc statu naturæ lapsæ per solas naturæ vires vitare omnia peccata *mortalia*, neque ex lege Dei ordinaria unquam futurum, ut quis per longum tempus ea declinet sine gratia sanctificante. 2^o. Hominem etiam peccatorem posse potentia physica vitare peccata *venialia* collective sumpta; instructum vero ordinariis gratiæ auxiliis saltem abstinere posse a venialibus distributive sumptis, hoc est, singulis in particulari et successive tantum ac seorsim spectatis. 3^o. Hominem justum ex speciali gratiæ privilegio posse etiam moraliter tota vita per longum tempus durante devitare *omnia venialia* collective sumpta, hoc est, tum omnia omnino, quod aliqui vocant collective simul, tum hæc et illa, et sic deinceps ad se invicem, et ad totum comparata, quod dicunt collective distributive; id quod diserte profitetur S. Aug. L. 2. de pecc. mer. c. 6. n. 7. ac L. de gr. Chr. c. 48. Quæstio itaque jam olim *Pelagium* et *Celestium* inter

ac S. Aug. agitata est : an et hoc moraliter possibile sit homini sine speciali gratiæ divinæ privilegio? Ad quam cum unanimi *Catholicorum*

322. R. Sine speciali privilegio homo moraliter nequit per longum tempus vitare omnia peccata venialia.

Prob. 1^o. Ex universali SCRIPTURÆ pronuntiatione, 2. Paral. 6. v. 36. *Neque est homo, qui non peccet. Eccles. 7. v. 21. Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. Jacob. 3. v. 2. In multis offendimus omnes.*

2^o. Ex orationis Dominicæ illa parte : *Dimitte nobis debita nostra*; de qua TRID. Sess. 6. c. 11. ait : *Justorum illa vox est et humilis et verax.* S. Aug. vero L. 2. de pecc. mer. c. 7. n. 8. *Propheta cum diceret : Dixi, pronuntiabo adversus me delictum meum Domino, et tu dimisisti impietatem cordis mei, continuo subjunxit : Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Non ergo omnis peccator, sed omnis Sanctus.* Unde MULEVIT. Concilium II. can. 6. (Labb. t. 2. p. 1339. C.) de eodem textu, *Quisquis, inquit, sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est; anathema sit.*

3^o. Ex TRADITIONE, cujus præ cæteris testes sunt S. HIER. contr. Pelag. L. 2. n. 30. : *Quamdiu ille finis adveniat, et corruptivum hoc atque mortale incorruptione et immortalitate mutetur, necesse est nos subjacere peccato, non naturæ et conditionis, ut tu calumniaris, vitio; sed fragilitate et mutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur, quia Deus solus est immutabilis.* Et S. Aug. L. 2. de don. persev. c. 2. *Tria sunt, inquit, quæ maximo adversus eos (Pelagianos) catholica defendit Ecclesia; quorum... alterum est; in quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Atque hoc præcipue S. Doctor data opera probat L. de perf. just. et L. 2. de pecc. mer., ubi et singillatim versat omnia argumenta opposita *Pelagianorum.* Unde TRID. Sess. 6. can. 23. sic definit : *Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.*

Conf. Ex multiplici radice hujus impotentiae, uti sunt 1^o. *Concupiscentiæ fomes* seu propensus ad sensibilia appetitus, usum rationis prævertens : 2^o. *Judicii imperfectio*, quod nec honesti præstantiam, nec sensualis inhonestatam semper perfecte advertit, voluntati que proponit. 3^o. *Connaturalis mutabilitas liberi arbitrii* et voluntatis inconstantia. 4^o. *Resistentiæ labor* et nata inde defatigatio, qua fit, ut quis v. g. resistendo sæpius tentationibus carnis valde molestis incidat in impatientiam aut pusillanimitatem. Jam vero nisi per singulare privilegium vel harum causarum concursus impediatur, vel extraordinaria illustratione ac inspiratione frænatur appetitus, admoneatur intellectus, stabiliatur voluntas, ac restaurentur vires, oritur necessitas venialiter peccandi, utpote ad quod sufficit semiplena advertentia ac libertas, imperfectaque deliberatio; sicut ob similes causas in humana societate necesse esse Christus Matth. 18. dixit, *ut veniant scandala.*

Nec dicas 1^o. De multis SCRIPTURA testatur, quod in hac vita fuerint perfecti. Sic de Jobo legitur c. 1. v. 8. *Non est ei similis in terra, homo simplex, et rectus, ac timens Deum et recedens a malo.* De Zacharia et Elisabeth Luc. 1.

Erant autem justi ambo.... incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.

R. Juxta S. Aug. L. 4. ad Bonif. c. 10. n. 28. duplex est perfectio hominis : alia *patriæ*, ubi homo peccatis amplius obnoxius non est, neque adhibetur medicina; alia *viæ*, cujus pars est ut *justus sit accusator sui*, et oret sibi debita dimitti, et spiritualia vulnera remediis curet. Unde ex eodem in L. 2. de pecc. mer. et remiss. c. 12. et 13. singillatim etiam

R. Ad 1^{um}. Laudari Jobum non absolute et ob perfectionem omnimodam, sed comparative et præ aliis, qui tunc erant in terra.

R. Ad 2^{um}. Similiter commendari eos ab operatione simulationis et hypocrisis vacua, atque observantia legum, ita ut nemo de eorum vita quærendi rationem haberet; quæ tamen non impediverint, quominus Zacharias Sacerdotii officio perfungens etiam pro suis delictis hostias obtulerit.

Nec dicas 2^o. 1. Joann. 3. dicitur : *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in ipso manet; et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Sed homo justus ex Deo natus est per gratiam; et Christus Matth. 3. monet : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est;* Et Paulus ad Philipp. 3. *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus.* Ergo et perfectio seu vitatio peccati possibilis est, et supponitur haberi etiam in hac vita.

R. D. M. Non peccat, nec peccare potest, in quantum gratia spirituali regeneratur, et est nova creatura in Christo C. qui regeneratus est et manens etiam nova creatura, vi tamen nativitatæ suæ antiquæ non peccat vel peccare potest *subd.* mortaliter C. venialiter N. Observat præterea S. Doctor L. supr. cit. c. 15. Apostoli hujus testimonia invicem pugnare non posse. D. etiam *Cons.* Ergo perfectio in uno genere, quale est charitatis et dilectionis inimicorum, de quo loquitur Christus, possibilis est et supponitur adesse C. perfectio in omni genere etiam in hac vita est et potest esse *subd.* quantum ad profectum, ut nempe quotidie proficiamus C. quantum ad plenam possessionem N. Sicut enim lex, *Non concupisces*, data nobis est juxta S. Aug. *non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus;* sic et mandatum, *Estote perfecti*, in hac vita omni ex parte non impletur.

Nec dicas 3^o. Oramus quotidie ex institutione Christi : *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra;* et Ecclesiæ : *Dirige sensus, sermones et actus nostros, ut ad nullum declinemus peccatum;* ergo. *Conf.* Sequeretur ex nostra sententia 1. Homines esse excusabiles, qui peccant venialiter. 2. Nec in statu naturæ puræ fuisse potentiam moralem vitandi peccata venialia. 3. Valida non esse vota de vitandis venialibus.

R. Per neutram orationem petimus *privilegium* illud *speciale*, sed gratiam sufficientem ac uberiolem ad faciendam Dei voluntatem, vitanda peccata mortalia, venialia deliberata, ac frequentia indeliberata. Atque hæc etiam per preces quo præstantiores, eo uberius obtinetur; quamvis, quamdiu intra ordinem communis auxilii est, non præstet, ut nos nunquam peccemus.

Ad *Conf.* N. 1^{am}. seq. Quia non est impotentia physica, sed *moralis* duntaxat, eaque *indeterminata*, ac determinate semper cum aliqua semideliberata saltem negligentia conjuncta. Ad 2^{am}. R. C. quia natura pura non integra similes in se radices habet ex dictis supra. Inde tamen Deus auctor peccati dici non posset, quia hoc *per accidens* se haberet ad Dei intentionem,

et libere adhuc ab homine fieret. *Ad 3^{am}. R. D.* Vota non esse valida de vitandis venialibus deliberatis *N.* etiam indeliberatis *C.* *Disparitas* est, quia primum est moraliter possibile, non vero secundum; cum vero votum non det vires morales, nec potest obligare ad id, quod eas excedit, et fit occasio lapsus.

Nec dicas 4^o. Non potest dari necessitas *physica* licet vaga et indeterminata ad peccandum, quia alias formaliter non peccaretur, ut liquet in conscientia *perplexa*; ergo nec moralis, quia sicut *physica*, sic etiam hæc fieret determinata.

R. N. Cons. Disparitas est, quia necessitas *physica* est intrinseca ac antecedens; et quamvis vaga foret, homo tamen vi illius non esset liber ad utrumque peccatum actu vitandum; adeoque non peccaret formaliter, ut patet in exemplo *perplexi* allato: e contrario necessitas moralis vaga, quamvis fundetur in volubilitate voluntatis, non est tamen intrinseca et antecedens, sed extrinseca duntaxat ac illativa, et relinquit libertatem solum imperfectam ad singula distributive et determinate vitanda, adeoque unum ex his committendo formaliter saltem venialiter peccatur.

323. *Observa I.* Ab universali hac assertionem præter Christum excipitur *B. V. Maria*, ut liquet tum ex can. Concilii TRIDENTINI, tum ex loco *S. AUGUSTINI* ex *L. de nat. et gr. c. 36.* aliisque Patribus universim eam a peccatis excipientibus.

Neque huic privilegio *obstat 1^o.* quod potuerit orare orationem Dominicam etiam quoad illam petitionem: *Dimitte nobis debita nostra*; nam et hoc orare potuit imprimis nomine totius Ecclesiæ; et juxta aliquos etiam pro se, quatenus dimissa dicuntur debita, quæ liberalitate divina non contrahuntur.

Nec obstat 2^o. Quod videatur esse arguenda alicujus *negligentiæ*, dum ea inscia remansit puer *Jesus* in *Jerusalem*. Nam negligentiam culpabilem non intervenisse ostendit opinio, utique prudenti nixa fundamento, qua existimabant illum esse in comitatu, scilicet cognatarum et notorum inter quos eum postea requirebant: sicut enim *Christus* suos parentes latere voluerat, quod in his, quæ Patris ejus cælestis erant, eum tum jam temporis oporteret esse; sic et iis etiam nihil debite sollicitudinis omittentibus potuit et voluit ad hunc finem se clam ab illis subducere, aut petita ab eis devotionis aut negotiorum causa tardantibus venia adeundi cognatos, his postea relictis redire ad templum.

Nec obstat 3^o. Quod *S. CHRYS.*, quem *THEOPHYL.* et *EUTHYM.* sequuntur, hom. 20. in *Joan.* (al. 21. n. 2.) putet *B. Virginem* ex quadam ostentatione petiisse miraculum fieri in nuptiis *Cana*, eamque reprehendi illis verbis: *Quid mihi et tibi, mulier?* Nam *S. TH.* p. 3. q. 27. a. 4. ad 3. notat in his verbis *Chrysostomi* excessum, atque hinc *CYRILLUS*, *BERNARD.* aliique Patres volunt petitum fuisse miraculum ex necessitate, charitate ac pietate; unde nec illa verba *Christi* reprehensionem veram continent, ut ostendunt *AUG.*, *BEDA* et ipse *CHRYSOST.* Videtur tamen tum hic, tum alibi, ubi *Matth. 12.* foris stans mater quærebat ei loqui, reprehendere; sive quod aliis videri poterat ex *inanis gloriæ* motu Mater petiisse; sive ut ostenderet, quod sicut

parentes in operibus Theandricis nihil habebant juris, ita nec eorum affectibus aut desideriis, sed Deo tantum et charitati illa sint tribuenda.

Nec obstat 4^o. Quod juxta *S. HIERON.* supr. cit. Deo soli reservata sit *perpetuitas impeccantiæ*. Nam præterquam quod idem *S. Doctor* in *Ps. 77.* tribuat, *B. Virginem* nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce; negat illi duntaxat impeccantiæ, quæ talis est ex natura, non autem participatam, ac ex privilegio: inter hanc vero et illam ac confirmationem in gratia habetur id discriminis, quod impeccantia etiam *Christi* ex natura fundetur in indecentia, quæ foret in Deo, si peccatum permitteret, aut relinqueret naturam cum naturali inclinatione ad peccatum; confirmatio autem in gratia excludat sola mortalia.

324. *Observa II.* Pro eodem privilegio aliis tribuendo simile fundamentum non habetur. Nam quamvis pro *S. Joanne Baptista* stet illud testimonium *Christi Matth. 11. Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*; tamen videtur comparatio solum esse instituta cum *Prophetis V. T.*, ut indicat illa additio, quæ habetur *Luc. 7. v. 28. Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est.* Præterea obstat locus *S. AUG. L. de nat. et gr. supr. cit.*

Notandum tamen hic venit et illud, quod idem *L. de Sp. et litt. c. 2. n. 3.* scripsit: *Quin etiamsi nemo est, aut fuit, aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus; et tamen esse, aut fuisse, aut fore defenditur et putatur, quantum ego judicare possum, non multum erratur, nec perniciose.* Et paulo post, n. 4.: *Sed illis acerrime ac vehementissime resistendum est, qui putant, sine adjutorio Dei per se ipsam vim voluntatis humanæ vel justitiam posse perficere, vel ad eam tendendo proficere.*

CAPUT III.

DE EXISTENTIA GRATIÆ ACTUALIS.

ARTICULUS I.

QUÆ SIT NATURA GRATIÆ SUFFICIENTIS?

325. *Nota I.* *Gratiæ sufficientis in genere* spectatæ nomine intelligitur auxilium supernaturale, vi cujus præstatur sufficiens, h. e. necessaria et proportionata potentia operandi salutariter; sub qua ratione etiam gratia habitualis a *S. THOMA* nonnunquam vocatur sufficiens. *Proxime sufficiens* est auxilium tale, per quod in se receptum potest quis immediate aliquam operationem efficere sine interventu alterius prioris operationis, qua impetret majus auxilium: *remote sufficiens* est, quando homo needum recepit in se totum auxilium necessarium ad certum opus, habet tamen illud paratum a